penitus gaudium, nullam lætitiam ad suim nobilissimæ creatu-
ræ præsentiam sentire videtur. Pro superi! quantum mor-
talia cæcorum pectora cæcæ noctis habent! Quid enim maior
calamitas esse potest quam in perpetuis tenebris versari atque
conditum esse? enim vero si illi, qui squallido tenebrico-
so carcere tres quatuorve dies ac noctes integras inclusi,
iam in diu desideratam expectatamque lucem prodeunt, se multo-
rum annorum spatio interclusos existimant, quidnon de iis
sentiendum erit, quibus non unius aut duorum dierum spatio,
sed totius vitæ suæ curriculo in perpetuis tenebrarum nebu-
lis inhærendum est? Si una nox tam multis nos privare
gaudiis, tamque graves et varias secum adducere molestias
præcipue non dormientibus aut male habentibus creditur,
quam gravis et onerosa cæcorum perpetua nox existimanda
erit? Verum quoniam oratio quovis colore expressior est, ac
quavis cera ad effingendum mollior, quantum licebit, Audito-
res cæcum vobis adumbrare conabor, tametsi non sum admo-
dum pingendi peritus. Imaginamini vobis cæcum quendam ambu-
lantem vos videre. ut manibus baculos, quibus innititur
apprehendit? ut lento trepidoque gradu incedit? pedes titu-
bant, gressus incertus ac instabilis, totum corpus attonitum est.